

11+12 / 84

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



TOMUS 7

FASC. 50



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA  
TVRICENSI in aedibus AKADis  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia Fr. 14.--  
In Germania DM 18.--  
In Austria öS 130.--  
In ceteris  
Europae terris Fr. 20.--  
In terris trans  
maria sitis US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Udalricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-  
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz Fr. 14.--  
Deutschland DM 18.--  
Oesterreich öS 130.--

übriges Europa Fr. 20.--

Uebersee US 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulrich Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:


RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

FELICEM DIEM NATALEM CHRISTI, FELICEM, FAUSTUM

ATA CANDELISQUE ORNATA TOTI ORBI TERRARUM EXPRESSIT.



SIMONE APPELLATA HAC ARBORE SUA MANU DELINE-

PROPTIUMQUE NOVUM ANNUM OMNIBUS ; HAEC VOTA PUELLA

# PRÆFATIO

Cari legentes

His diebus nobis diem natalem Christi celebrandum expectantibus satis temporis est, quo quaeramus, quid boni aut quid mali annus iam paene praeteritus apportaverit. Quid ergo boni? Terra nostra patria Europaea cum pervixerit interdum dies bello faventes periculosos tamen bello vacabat; numerus autem eorum hominum, qui apud nos munere, quo fungantur, non habent, nec diminutus neque auctus est; fames et pestes mortiferae a gentibus Europaeis prohibitae sunt. Quidnam mali? Non modo - heus! - unum malum: In reliquo orbe terrarum multa bella aut orta aut semper infinita, pestes mortiferas e casibus adversis improvise natas (quid memorem illum novissimum in urbe Bhopal in civitate Indorum maximum ortum?), silvas et in nostra patria et ubique terrarum aere polluto morituras, maximam famem, inopiam vel penuriam victus spectabamus.....Profecto qui nostris diebus mundum aegrotantem observat dicet genus humanum tempora pervivere pessima!

Quid nobis restat solacii, quo animos nostros cura tristitiaque afflictos leniamus, reficiamus, quo dicamus hanc nostram vitam quamvis sit difficile tamen adhuc esse dignam, ut a nobis, a liberis nepotibusque nostris vivatur?

Unum semper restat solacium, una spes: Innumerabilibus hominibus ubique terrarum semper inest valetudo mentis et corporis, semper voluntas desideriumque laborandi in favorem humanitatis inopia laborantis. Qui homines et curant et operam dant, ne sors humani generis in annos peior fiat nec mala maneat, sed ut e condicione mala in meliorem proferatur. Sin autem omnes homines bonae voluntatis, integrae valetudinis cum illis collaborabimus, si una cum illis nullam occasionem praetermitteremus sic agendi, ut sors mundi laborantis melior fieri possit, haec vita nostra non modo digna, quae vivatur, manebit, sed etiam -


aliquando peracta - a posteris vita utilis fuisse censebitur.

Felicem diem natalem Christi, felicem novum annum vobis!

Valete!

*U. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann



## EXCRVCIATVR POETA

Curnám siléscunt méllifluaé fidés,  
Quondám sonántes cántibus aúreís?  
Quare, ó poéta, effúndis óra  
Flétibus ét gravitér treméscis?

"Algór -fatéris- mé tenet hórridús;  
Cordí rigénti nón licet igneó  
Gaudére amóre ex quó tenélla  
Sílvíá me subitó relíquit."

Orá levámen cármine Cýpridém:  
Numquíd resístet díva tuó meló?  
Consíderá quae púra díxi:  
Vér tibi erít renováta víta.

LAVRENTIVS VISCIDO

# Carmina natalicia

Caelitus, angeli, venite ....

(Vom Himmel hoch, o Engel kommt...  
cantus Germanus, e saeculo XVII<sup>o</sup>)

Caelitus, angeli, venite!

Eia, eia, susani, susani, susani!

Venite, salite (saltate)!

Venite, canite (cantate)!

Alleluja, alleluja!

De Iesu cantate et Maria!

Instrumenta afferte omnia,

Eia, eia, susani, susani, susani!

Violas, lyras, psalteria!

Alleluja, alleluja!

De Iesu cantate et Maria!

Facite audire voces omnium,

Eia, eia, susani, susani, susani!

Ludo organi atque fidium!

Alleluja, alleluja!

De Iesu cantate et Maria!

Ludus fidium longe resonet.

Eia, eia, susani, susani, susani!

Puerus bene dormitet!

Alleluja, alleluja!

De Iesu cantate et Maria!

Hominibus pacem cantate, eia,

Eia, eia, susani, susani, susani!

Deo laudem gloriamque in saecula!

Alleluja, alleluja!

De Iesu cantate et Maria!

Versio Latina:

AMICUS

# Pervigilium natalitium

Cras erit dies  
natalis Domini  
pax et quies  
in terra homini

Domus coronis  
sunt decoratae  
et festis donis  
nunc oneratae.

Raedae per vias  
currunt veloces,  
aures dum pias  
audiunt voces.

Meus videtur  
orbs renovatus:  
oh, nobis detur  
Puer natus!

Pinus vel abies  
ridet ornata:  
belli sit rabies  
abhinc fugata!

Cras erit hora  
Domini prima:  
spei aurora  
surgat opima!

Dies natalis  
Domini venit,  
dies quae alis  
niveis lenit

mala humana:  
aut delet illa  
fabula arcana  
et tranquilla?

En Nicholaus,  
pinguis et vetus,  
"laus," clamans, "laus!"  
descendit laetus,

et ex fornacibus  
fert sua dona  
parvis audacibus  
qui sperant bona.

Heu, nihil spero,  
qui nihil credo,  
sed felix ero  
si fidei cedo.

Iosephus Tusiani




# DIONISIO, VIRO MUSICORUM PERITO

Perge salutatum, multis perarata lituris,  
aere ab Andinis littera missa plagis,  
quem tulit egregium Gallorum tellus amicum  
praeclaris omni tempore farta viris.  
Perge sed incultae pannis induta Camenae:  
pectoris es grati fida ministra mei.  
Docti cum magnas vatis lustraveris aedes  
contingas trepido limina, quaeso, pede;  
muneris ipsa memor, primum quate pulvere vestes,  
pulsabis latas dein pudibunda fores;  
longis lassa viis, mandati conscia nostri,  
tunc domini veniam more rogantis habe.  
Quaerenti dices terras habitare remotas,  
quas vix sol flammis gaudet adire suis,  
quo nullus musicis honor et quo cantica sordent  
resque pia veteres religione iacent,  
artibus ingenuis dedecus, quo carmina languent,  
ingeniis penitus quo proba Musa latet.  
Tanto cauta viro multas persolvere grates  
verbis, demissa fronte, memento meis.  
Admoneas pariter studio trivisse libellos  
sollicito decies laetitaque suos;  
exactum domini lingua sapientis utraque  
ingenioque animae iure merentis opus!  
Numine perfusus sacro, primordia mundi  
surgentis miris pandit et ille modis:  
Christicolis cunctis miranda condidit arte  
quae summus vitae verba Magister habet  
Plura super cantu, templis recinenda sacratis,  
ille docet, numeris claudit et ille novis.  
Denique susceptum scribentis perdice munus  
sedula mendosis charta coacta notis:  
palmitis excissi dilecto trade sodali  
siccatum folium, quod levis aura rapit.

Pace bona placidus parvum legat ille libellum  
scriptaque cum venia qualiacumque, roga.  
Quod solitum, mutuo signetur epistula voto:  
sit tibi cura mei, sit mihi cura tui.

Raymundus Sarmiento Argentinus



## PHARA DJBAHI

Pulchra erat illa. Venus concessit larga favores.

Hanc tuitus princeps Persicus et voluit.  
Aula superba pares accepit taedaque iunxit:  
Reza Pharae cupidus, nupta viri cupida.  
Aetas tam felix prosperrima gaudia pandit,  
Damna repente tulit invida sors at eis.  
Insidias hostes tunc composuere sinistras,  
Basia in exilium dulcia versa dolens.  
Aegyptus tristis capit exulis ultima verba,  
Hinc procul heu! lacrimas fundit acerba Phara.

Florindo Di Monaco



*COMPARATIO FLOREALIS*

O flos, qui nocte in somnis modulamina amoris  
Effingis volucrum et luce nitente dies,

O flos, cui ignotum est hominum miserabile fatum,  
quam fortunatus, quam mihi dissimilis!

Nocturnum tempus tibi somnia dulcia gignit,  
Contra horrenda necis fert simulacra mihi.

Cras tu perlaetus numerabis spicula solis,  
Vulnera ego afflictus dinumerabo mea.

O flos, candide flos, quem nulla molestia torquet,  
Noctem unam possim vivere more tuo.

Laurentius Viscido

**Facete lepideque dictum**

Vir dives pictorem visitans tabulam pictam emere in animo habebat. Tabulas pictas summo studio spectanti una magni intererat. Itaque pictorem interrogavit: "Quid ista tabula demonstrat?" Pictor autem "Vaccas in prato pascentes" respondit. Ad quae visitator "Egomet plane" inquit "nullam herbam in tabula pictam conspicio!" - "Nimirum", pictor respondit, "herba enim a vaccis iam devorata est". Tum visitans "Ne irascaris", repetivit "neque enim ullam vaccam in tabula conspicio!" Tum denique pictor: "Tunc umquam vaccas conspexisti eo loco, quo herba non iam inveniatur?"

Udalricus Aeschlimann

Initio Romani ea, quae posteris tradenda sunt, in marmor aut in metallum incidunt. Mementote, quaeso, legum duodecim tabularum! Epistulae ac discipulorum pensa in tabulis ceratis stilo inscribuntur. Ex urbe Pergamo libri membranis confecti Romam importantur. Papyri usus apud Romanos diu ignoratur. Qua in re 'Graeculi' vero Romanorum magistri sunt, nam mercatores Graeci in Aegypto mercantur chartam papyraceam, quam Aegyptii e planta quadam in paludibus Nili fluminis crescente conficere solent.

Romani Graecorum exemplo chartas papyraceas circum bacillum ligneum aut eburneum volvunt. Inde nomen voluminis trahitur. Postea opera magna in partes dividunt, quibus nomen "libri" datur.

Asinius Pollio ille scriptor oratorque, aequalis Caesaris, in atrio templi Libertatis deae primam bibliothecam instituit. Deinde imperatores Romani velut Augustus, Tiberius, Vespasianus bibliothecas publicas condunt. Quarto p.Chr.n. saeculo Romae viginti octo bibliothecae publicae sunt. Sed bibliotheca maxima non Romae sed in urbe Alexandria prope ostium Nili fluminis sita invenitur. Caesare vivo septies centena milia librorum continet, sed incendio magno deletur.

Cum usus librorum imprimendorum ignoretur, servis doctis libri describendi sunt. Magistri quoque ad usum puerorum librorum partes multiplicant. Bibliopolis vero plurimi librarii sunt. Romani enim nulla lege prohibentur, ne libros editos describant.

Omnes fere bibliothecae magnae imperio Romano labente aequae pereunt. Cassiodoro Vivarii praefecto monasterii magna laus est tribuenda, nam primus libros a monachis describendos esse iubet. Permulti monachi totius Europae opus librorum describendorum magna cum diligentia per multa saecula continuant. Nisi operam hanc posteris dedissent, fere nihil litterarum antiquorum temporum ad nos pervenisset.

Barbara Maier

# Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM  
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA  
KALENDIS FEBRVARIIS EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER  
secundum et tertium praemium LIBELLVS



## ad libram

- |  |   |
|--|---|
| 5 odorem edere   | 35 pars corporis ad ba-<br>sianum idonea                          |
| 9 ignis vel ardor  | 36 termini sacri Urbis Ro-<br>mae (Gen.sg.)                       |
| 13 una Musarum (Gen.)  | 37 incipis  |
| 14 tutori divino domus et<br>familiae (Dat.)                                       | 39 opus dulce apium   |
| 15 cupidus emendi  | 40 consolantes  |
| 17 ars sonorum (Gen.)  | 45 sacerdos Veneris Sesti,<br>amata Leandris                      |
| 19 non aliae   | 46 nulla res  |
| 21 ad carmina pertinens<br>(Adj.acc.f.sg.)   | 47 qui ad inferos poenas<br>dat ignitae rotae affi-<br>xus (Gen.) |
| 22 dilecto   | 49 cuncta   |
| 24 citharoedus Graecus, fi-<br>lius Apollinis et Orphei<br>magister dicitur (Voc.) | 51 mons Thessaliae  |
| 26 aedificia, in quibus<br>certamina musica aguntur                                | 52 pars domus Romanae<br>(Dat.sg.)                                |
| 27 pristinum nomen insulae<br>Naxi (Acc. Graece: m=n)                              | 54 impero   |
| 29 pullus asini silvestris   | 55 commodum   |
| 31 dies in medio mensis  | 58 parva bestia aculeis<br>praedita                               |
| 32 senator Romanus, qui<br>semper mores maiorum<br>defendebat                      | 59 cenare   |
| 33 circumisti  | 60 quibus portae clauduntur<br>(Abl.)                             |
|  | 64 pars hominis immortali-<br>tatis particeps                     |

## ad perpendicularum

- |   |  |
|---|--|
| 1 urbs ima in meridiana<br>regione Italiae sita | 10 ad deum maritimum, cui L<br>filiae sunt, pertinens<br>(Adj.Dat.pl.)                           |
| 2 rex Calydonis, pater<br>Meleagri (Gen.)       | 11 noctuis   |
| 3 accusati                                      | 12 bestiolam in arboribus<br>regionum meridianarum<br>sedentem et claros sonos<br>edentem (Acc.) |
| 4 migravit                                      | 16 mirificus   |
| 6 festivitate vel venusta-<br>te                | 17 vinum melle permixtum   |
| 7 quae adamavit                                 |  |
| 8 urbs celeberrima Italiae<br>meridiana (Dat.)  |  |



- 18 feminae oppidum Sabinum, quo Sallustius scriptor rerum natus est, incolentes  
 20 nimium frigoris accepi  
 21 rationes vel melodias (Acc.pl.)  
 23 benignae  
 25 cognitio  
 28 Lacus Italiae, quo ad inferos itur (Gen.)  
 30 numerus 4  
 32 tribus Athenae, ex qua Oedipus ad inferos isse fertur  
 34 insitum est  
 36 quae concessa sunt  
 38 pronomen demonstrativum  
 39 pronomen possessivum (Abl.)  
 41 e patria fugatus  
 42 itinera (Acc.pl.)
- 43 incipium et finis alphabeti Graeci  
 44 breviter: non nominatus  
 48 arbor autumnis dulces fruges ferens (Acc.)  
 50 incola regionis, qua Seneca philosophus natus est  
 53 ad regem pertinens (adverbium)  
 56 bestiae mira magnitudine, quas in silva Hercynia vixisse Caesar narrat  
 57 pronomen reflexivum  
 59 pronomen demonstrativum (Dat.)  
 61 deus Graecus pastorum et silvarum  
 62 particula interrogativa  
 63 potio salutaris ab animalibus data

Hoc aenigma magnum composuit Daniel Weissmann

## SOLUTIONES

autem ex aenigmate in  
 RVMORE VARIO 9+10/84  
 sunt hae :



<sup>1</sup> I	<sup>2</sup> S	<sup>3</sup> I	<sup>4</sup> S
<sup>2</sup> S	E	D	E
<sup>3</sup> I	D	U	S
<sup>4</sup> S	E	S	E

## Facete lepideque dictum

Nam Deum conspicabimur sicuti est....

Isaac(us) Newton(ius), 1642-1727, physicus, mathematicus astronomusque ille Anglius celeberrimus, Blasius Paschalis (Blaise Pascal, 1623-1662), mathematicus ille celebris philosophusque Francogallus, Iacobus Benignus Bossuetius (Jacques Bénigne Bossuet, 1627-1704), theologus ille celebris Francogallus, episcopus Meldunensis (évêque de Meaux), Iohannes Baptista Radicina (Jean Baptiste Racine, 1639-1699), poeta ille celebris Francogallus, Franciscus de Saliniaco de Motha-Fenello (François de Salignac de la Mothe-Fénélon, 1651-1715), archiepiscopus Camaracensis, (archévêque de Cambrai), viri enim re et veritate illustrissimi totius orbis terrarum in saeculo omnium maxime philosophico atque integro flore aetatis ac spiritus animo fidenti in Iesum Christum immutabiliter crediderunt. Magnus quin etiam Ludovicus II de Burbone princeps de Condeio (Louis II de Bourbon, prince de Condé, 1621-1686, "le grand Condé" - Condeius Magnus) moribundus verba haec etiam et etiam reddidisse fertur seu traditur: "Sic, enim sic est, nam Deum conspicabimur sicuti est, facie ad faciem!"

\* \* \* \* \*

Beati, qui non viderunt....

Fridericus autem II, rex Borussiae, 1712-1786, castra praetoriana copiarum Borussicarum locare iusserat, quae ecclesiae cuiusdam catholicae lucem omnino abstulerunt. Sacerdotes indignabundi querelam ob eam rem ad regem detulerunt, sed ille omnino immotus respondit illis verbis his: "Beati, qui non viderunt, crediderunt." (Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Ioannem XX, 29)

\* \* \* \* \*

Dimitte illis....

"Dimitte illis, non enim sciunt, quid faciant." (Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Lucam XXIII, 34). Textum



illum sacerdos quidam argutus occasione nuptiarum Theodori Agrippae de Albiniano (Théodore Agrippa Aubigné, 1552-1630), senis eo tempore iam septuaginta annorum, cum puella non amplius septendecim annos nata, anno 1622<sup>o</sup> pro coniugibus selegit.

\* \* \* \* \*

#### Nimis similes....

Maria Theresia de Bracassio comitissa de Rupe Forti (Marie Thérèse de Brancas, comtesse de Rochefort, 1716-1782) uno die interrogabatur, an res futuras scire vellet. Tum illa: "Res autem futuras," inquit, "omnino scire nolo, nam sunt rebus praeteritis nimis (con)similes (nimis similitudinem habent cum rebus praeteritis)!"

\* \* \* \* \*

#### Neque - neque - neque

Henricus autem de Bubilovillario comes de Sancto Salvio (Henri de Boulainvilliers comte de Saint-Saire, 1658-1722) neque de rebus praeteritis neque de rebus praesentibus neque de rebus futuris aliquid scivisse fertur seu traditur: fuit enim historicus, fuit etiam maritus uxoris aetate florentis atque fuit insuper astrologus!

\* \* \* \* \*

#### Iudicium sannionis

In quadam comoedia Italica invenitur sannio aut scurra, qui de perversitatibus sexuum dicit: "Nosmet autem omnes essemus absoluti atque perfecti, si neque viri neque feminae essemus!"

\* \* \* \* \*

#### Tandem

Eo autem die cum episcopus Atrebatensis (évêque d'Arras) in Aede Cathedrali corpus exceperat marescalci Francogalliae Francisci Gastonis comitis de Laevia (François Gaston comte de Lévis, 1720-1787), manum in arca ponens "Tandem", inquit, "habeo eum, illum virum fortem honestumque!"

#### Acu tetigit ille

Magistratus maior oppidi Helvetici Genavae cum Petro Boscione equite de Botonis Villa (Pierre de Buisson chevalier de Bouteville), legato regis Francogalliae Ludovici XV<sup>1</sup> (1715-1774), controversiam habuit. Eques autem adroganter cum magistratu Genavae oppidi locutus est verbis his: "An nescis autem Tute memetipsum esse legatum regis Francogalliae?" - Tum magistratus: "Et Tute," inquit, "an nescis me esse legatum mei ipsius?"

\* \* \* \* \*

#### Blanditiae

Maria Theresia Rotuleta domina Godofredina (Marie Thérèse Rodet, madame Goeffrin, 1699-1777), de filia eius domina de Firmitate - Imbalda (Madame La Ferté - Imbaut) existimavit modo hoc: "Si Temetipsam," inquit, "adspicio obstupefacta sum uti gallina, quae ovum anatinum genuit!"

\* \* \* \* \*

#### Responsum celerrimum promptissimumque

Andreas autem Leporetus (André Levret, 1703-1780), medicus ille celeber Francogallus artis obstetriciae summe expertus, a delphino Ludovico (dauphin Louis) arcessitus, ut succurreret uxori Mariae Iosephae de Saxonia parturienti, a delphino Ludovico (mortem obiit anno 1765<sup>o</sup>) adroganter exceptus erat verbis inurbanis his: "Valde Temetipsum, medice, laetum esse puto, quod succurrere tibi nunc licet delphinae parturienti, nam id auctoritatem Tuam sine omni dubio amplificabit augebitque!" - Tum aequo animo medicus: "Si auctoritas mea," inquit, "iam diu certa atque explorata non fuisset, hoc loco non adessem!"

AMICUS



## **Fabula docet....itane docet fabula?**

In libro, quem nunc in tota bibliotheca mea non iam reperio, ante duos tresve annos hanc fabulam erui eamque, cum satis lepida esse videretur, accurate denotavi. Hanc vobis tradam sine ullo additamento, nuda sinceraque sicut erat; et spero tantum id fore, ut vestrum unus aut una sit, qui sensum mihi fabellae enodare possit ac velit. Ipse enim nescio, quid reapse dicat; scire tamen cupio.

Fuit quondam in Alpibus, illic ubi Fanes montes circa prae-tula remotissima horrent, avis quaedam. Tanto astu erat medicata, ut hominum sermonem calleret eorumque sortem, quam praesciebat, aliquando eis praediceret. Avis fuit famosissima. Et principes dominique multarum gentium et divites et potentes miserunt qui illam capesserent; qui emissarii autem, cum vidissent volucrum non avolantem, eam prehendere, ea potiri tamen nullo pacto potuerunt. Ea ista sedebat hilaris in pino bellarum acuum, quae inde a decies milibus annis illic agebatur austris boreaque, insedebat intacta curis aviditatibusque in medio vimine titubante atque canebat. Et illi, qui captum ierunt, canorae vocis sonum tantum deportarunt.

Fama oscinis solitarii permanescit denique ad Integrum regem, cuius sunt populi orientis. "Quid per deos" perorat "de illa bestia, quo nixa quodvis iter ad se susceptum faciat irritum? Ego id exquiram, et mihi soli contingito eius captura!" Ac profectus is post aerumnas innumerabiles in solitudine advenit, pinum cernit, avem capit; quae vero, cum admodum laetus rex iam pandit caveae apportatae ianuam, his verbis orditur: "Me apisci, o celsissime domine, non difficile; difficile est fortasse me tenere alereque: nam illi soli me possessam dabo, qui nihil umquam in malam partem acceperit nec umquam desierit alacria colloquia serere aut saltem petere. His enim pascor, animantium commune pabulum respuo." Pro ioco sumens et magnum ridens rex hoc foedus, si quod fuit, init; avis perbene se recludi patitur. Sic incipit reditio.

Paulo post autem pennata iocandum esse memorat, idque serio. Quid homini nostro, qui magna expectatione districtus

et itinere enervis et adeo fatigatus erat ut nullatenus evalescat quid dicaciter festiveque narrare, tunc restat faciendum? Scilicet e bestia quaerit, ut ipsa semel fabulatoris partes agat. Quae annuit. Iam fabulatur de tristibus et iocosis, semper salse adversas res secundis admiscens item ac facessit vita hominum, et fabulando ad risus cachinnosque fere continuos regem incitat. Qui postremo temulentus risu somnum petiit. Nox tranquilla, mane novum valde frigidum. Nunc rex, tunc avis res cum sale dicit. Et pergunt iter suum, pergunt.

Ante portas urbis regiae adveniens conspiciatur Integer mendicum unipedem, qui quamquam misere laborat suis doloribus subito regem recognoscens exclamat: "Ave, celissime, salve domum rediens! Diu sane exspectavimus hunc diem reditus tui, interea passi seditionem et belli civilis mille discidia, passi etiam inedia, cruciatus, iniustissima cuiusvis generis per istos dominos novos; recens autem, ante complures dies, frater tuus impetu temerario potestatem recuperavit tuasque tamquam vices gerens cunctas res placavit. Regnum restitutum. Certe quidem id quod frater non potuit restituere est soror tua, quam illi nefasti machaeris totam trucidarunt, est mater pater filius filia fere uniuscuiusque civis, quos ferro ignique deleverunt, est horror, desperatio et diffidentia, quae venena adhuc omnium animas percutiunt. Salve tamen, salve propterea, mi rex bone. Ne quid dones mihi, etiamsi mendicari coactus sum, nam hac tua pecunia nusquam emere possim pulpam: Deest quod emas. Dixi. Intra nunc, intra, intra!" Quibus exclamatis concidit iuxta murum, incanis factus, quasi cumulus abiectorum.

Integer aliquamdiu stat attonitus. Ac paulatim, sui nescius, oculis nictare incipit, dum e contrario avis reclusa sed dura irrisione mendici inflammata cantat: "Claude, claude, blateras et claudicas." Quibus verbis perceptis non iam moderatur sibi Integer et os acerba lacrima irrigat et considit in terram, lympha occaecatus iterumque erumpens lacrimis. At bestia, simul primum est odorata misericordiam cum miseris, egreditur e sporta lignea uno becci morsu anfracta, alis plangitur magnifice, evolat et in orbem amplus amplioresque se evolvens iam ad summum caeli

fornicem ascendit, de quo, haud aliter ac si in scaena crocum perambularet, hanc salutem demittit: "Te puellum Heraclem, te fulmen belli ab abiectis terrigenis abhorrens! Fufae! Iterum fufae! Eas etiam, Integer integerule, et torpe in incunabulis condollescentiae, cum possis dominari! Quiesce porro, miserere semper faecis hominum, et numquam esto conscius, scurra putide!" Quo dicto revolat in pinum suam.

Illic sedebat, cum rex adiret alterum, placide persedebat, cum tertium veniret, sine curis sedebat cantans, cum post longaeva saecula nemo famosam alitem peteret. Ignoratur tandem, num mortua sit, sed alias in ramis dumosis nutantibusque ad hunc diem usque sedet, usque mortalium dolori spei fidei irridet. Eique bene est. Fortasse.

Sic fabula nostra explicit, quam explicare mihi nondum contigit. At vero, vobis amicis adiutoribus, mox mihi sensus ac sententia fabellae explanatae exponetur. Itaque vos salvere iubeo. Salvete ac valet.

Henricus Reinhardt

PS: Quam fabulam Henrico Reinhardt auctore scriptam traximus e commentariolo Latino, qui titulo "M.A.S. MEMENTO AUDERE SEMPER" a discipulis in Lyceo Palensi Barthou versantibus mense Ianuario anni MCMLXXXIV<sup>o</sup> editus est.

Rumoris Varii domus editoria



## Litterae ad legentes

Posonium, urbs vitium cultura vinique gloria celeberrima.

Primi situs Magni Posonii in hodiernis locis, quod in media fluvii parte Danubii situm est, urbis, quod temporibus nostris caput est Rei publicae socialisticae Slovacae, unius de duabus nationibus Rei publicae foederatae Bohemoslovenicae de V.-III. millenio orti sunt. Quae urbs pristina historia atque cultu humano nota est. Urbs multis et celeberrimis monumentis clara etiam vitium cultura vinique fabricando cognita.

Vini potio prima quam cultus humanus afferit ad quinque milia annorum spatium pertinet communi opinione. Dimidia cuius temporis pars vitium culturae in Slovacis regionibus ad agriculturam praecipue aptis redit item vino bibendo.

Prima testimonia eius rei in finibus Rei publicae socialisticae Slovacae de septem cultris inventis in vitium cultura tum adhibitis scientia archaeologica edita sunt. Multa et varia vasa vini conservandi causa fabricata sunt illis temporibus, pro testimonio habentur. Quae vasa urnaeque a viris scientiae archaeologicae in Academia scientiarum Rei publicae socialisticae Slovacae Nitra dedit is in colle Molpar appellato possessionis Smolenice civitatis inventa erant.

Quibus in locis aevi aënei oppidum erat de quo testimonia nunc habemus et cultus humani nec non vitae quae ad administrationem cuiusdam generis spectent invenerunt.

Vasa fictilia vini conservandi causa fabricata locumque cultus religionis de evolvenda vita humana testantur.

In sigillo cuius temporis illis locis invento nomen civitatis datum imaginesque vitium culturae XIV.-XV. aevi testantes cernimus. Non sumus nescii quod nomen Smolenice est civitati quae vitium cultura vinique bibendo nota erat. Quae civitas antiquissima vitium cultura imprimis nota in fines Slovaciae invenitur.

Inventa testimoniaque rerum in vitium cultura adhibitaram in Museo Vitium culturae Posonio (Bratislava) conservantur. Quod Museum anno MCMXXXI conditum pro uno de veteribus habetur sui generis. Historiam semitertii millenii vitium culturae Posonii urbis locorumque finitimis in planitie DC metrorum ante oculos propatulo habemus. At certe quo in Museo occasionem habemus historiae vitium culturae cognoscendae limitis septentrionalis in Europa.

Vina in Slovacia fabricata in egregiis vinis orbis terrarum habentur, sed etiam supremae qualitatis notas habent. Ob eam rem in alias terras exportantur.

In Rem publicam liberam nostram vina etiam invehuntur, nam vinum in Slovacia potio populi est. Quo facto proverbium divulgatum dicit "quem vinum bibere scire, diu in vita victurum sit". Quo proverbio adhibito vinum nusquam deesse potest nec homine nato et matrimonio facto neque occasione de vita excessus.

Quam ob rem facultates vini bibendi multae sunt.

Adhuc proverbium in populo est, quod dicit quinque autem esse causas vini bibendi: hospitis adventus, laetitiae causa, luctus causa, sitis depellendi causa, aliaeque causae bibendi.

Agite, cari amici, veniatis, degustetis ut cum Caesare illo haec tria verba proclametis - veni, vidi, vici! id est - veni, inveni, degustavi! - potavi?!

Si modo degustaturi estis victores vos facturos esse non ignoramus. Delapsi vino, victi eritis, quae non est culpa, nam a potiore devinci pro gloria atque honore habetur. Tanta vini vis est - dulcedinem mellis habet; - amici, ad certamen honestum adite!

Vojtech Letko




SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift



Hic solutionem  
inscribe et  
chartam mitte!





AZ

8050 Zürich

11+12 / 84

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

CH-8050 Zürich

TOMUS 7

FASC. 50